

**Zeitschrift:** Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum  
**Herausgeber:** Litteris Conradi Orellii et Soc.  
**Band:** - (1746)  
**Heft:** 4

**Artikel:** I. Georgii Altmanni, [...], exercitatio philologico-critica de , in Matth. cap. XVI. vers. 18  
**Autor:** Altmann, J. Georg  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-394586>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

**Download PDF:** 22.01.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**



J. GEORGII ALTMANNI,

*Ling. Græc. & Ethic. in Acad. Bernensi Professoris*

Exercitatio Philologico-Critica

De

ΠΥΛΑΙΣ ΑΔΟΥ,

In MATTH. Cap. XVI. Vers. 18.

---

Argumentum.

§. I. Observationes quædam generales totum hunc locum Classicum spectantes.

§. II. Communis hujus loci explicatio proponitur.

§. III. Eadem examinatur, atque doctorum contra eam objectiones adferuntur.

§. IV. *Grotii* & aliorum hypotheser, qui per *portas inferni* mortem intelligunt describuntur.

§. V. Difficultates circa hanc sententiam exhibentur.

§. VI. *Ewaldi* Sententia de *portis castrorum* proponitur & refellitur.

§. VII. Nostra Sententia proponitur, atque ad eam stabiliendam tria requiruntur. Primo quidem quod apud Scriptores commune sit urbes per portas denotare, per Synecdochen partis pro toto. Secundo, quod ἄδης apud Scriptores sacros & profanos non *mortem* vel *sepulchrum* tantum, sed *infernum* proprie dictum significet. Tertio quod non insolitum sit apud Scriptores per *portas inferni*, locum malorum spirituum denotare. Prima harum propositionum adductis exemplis probatur. Quid *somni portæ* obiter exponitur.

§. VIII. Gentilium communis de inferno opinio describitur, eosque hunc locum per ἄδην denotasse adductis testimoniis probatur. Loc. Luc. XVI : 23. exponitur & a mala quorundam explicatione vindicatur.

§. IX. Locum esse aliquem, in quo Spiritus malorum hominum a corporibus separati pœnas luerent, omnibus gentilibus promiscue erat cognitum. Quid Latini per *Januam* & *ostia Acherontis* intellexerint docetur. Locus *Plauti* & *Lucretii* explicatur. *Homeri* in eandem rem testimonia producuntur, & explanantur: Argumenta *Windeti* pro nostra sententia adducuntur.

§. X. Quæ in Dissertatione dicta sunt, in summan contrahuntur. *Pfaffius* laudatur.

§. XI. Locus *Diog. Laertii* de πύλαις ἄδης mentionem faciens examinatur & quæ ejus vera lectio esse possit conjectura affertur & argumentis firmatur. Ratio quare Pythagorici ab usu fabarum abstinerint affertur.

§. I.

**A**nimus non est, locum classicum, ex quo pauca tantum Verba expendere & accuratiori examini subicere est animus, a nova Sedis Romanæ interpretatione vindicare: Factum id dudum a tanto doctorum Virorum globo, ut illud esset actum agere, & laborem perficere ad nihil conducentem: ad quid enim valet Veritas, & ad quid profunt argumenta, cum honoris lubido, cum lucri ardor contrarium suadent? & hinc mihi facile persuadeo, quod si ipse Apostolus Petrus ex mortuis rediturus esset, ut Romæ verum sensum Verborum Christi Pontifici exponat, quod non solum Apostolica auctoritate nihil profecturus esset, sed quod insuper ei parum tutum foret, in loco vivere, in quo primam Dignitatem Papalem sustinuisse dicitur; quamdiu enim de interpretatione hujus loci, quam ei proceres purpurati Curia Romanæ affingunt, exclamare possumus illud Petronianum, *habet hæc res panem*, Spes certe nulla est, illos homines veritatem cum tot divitiarum periculo professuros. Sed ponamus pro momento, per Petrum Apostolum Petrum significari, ponamus Petrum Romæ fuisse, quid tum? Ubi primatus Petri? & quo pacto exsculpi poterit successorum auctoritas & præ reliquis Episcopis eminentia? Annon Servator noster reliquis Apostolis eandem concessit cum Petro potestatem, antequam in Cœlum rediret post suam resurrectionem? An non eadem dona Spiritus Sancti, eandem miracula exhibendi, eandem peccata remittendi potentiam & auctoritatem reliquis contulit Apostolis? Hinc certe, qui a præconceptis opinionibus & præjudiciis

auctoritatis & infantiae est immunis, ridebit si videat, quam infirmo stet talo tota Ecclesiae Romanae auctoritas, si ejus fundamentum ex verbis Christi velimus fulcire & exsculpere; omnis ideo tremendae Sedis Papalis potentia, robur & splendorem suum derivat ex longo annorum usu, ex Regum & Principum caecitate & ignorantia, & ex innumerabili monachorum multitudine, qui longo agmine & junctis phalangibus Sanctissimi Pontificis Cathedram defendunt & muniunt, & quid dicturus esset Petrus, pauper dum viveret piscator, si visurus esset magnum Principem politicum, auro argentoque locupletem, in maximo Splendore viventem, qui se ejus Successorem vocat; Plura jam effluxere secula, ex quibus quaestio non amplius agitur, quae debeat esse doctrina illorum, qui Servi Christi & Apostolorum Successores audiunt, vel quae sit mens verborum Servatoris nostri, sed quid conducatur ad acquiras illas opes & splendorem augendum & defendendum. Nihil certe impudentius quam asselarum Curiae Romanae in hunc locum interpretationes, unicam *JOH. HARDUINI* in Commentar in N. T. p. m. 62. adscribere placet, quae certe talis est, ut mihi persuadeam, virum doctum sibi a risu vix temperasse cum eam chartae mandaret. *Gallice haud incongrue hunc locum sic interpretabere. Tu es un rocher, bien ferme, & sur cette fermeté qui ne manquera jamais à tes successeurs par mes soins, j'edifierai mon eglise, jusqu'à la fin des siecles.* Mitimus ideo quae in hunc locum dici possent, cum difficultatem nullam patiatur ab omnibus qui sensum Scripturae simplicem & genuinum sectantur & amant, de una hac quaestione erimus solliciti, quid

quid per *Portas inferni* sit intelligendum, & an illa phrasis Hebraismum redoleat, an vero illa tutius & commodius aliunde explanari possit, & unde nam illa petenda.

§. II. Antequam vero nostram exponamus sententiam, brevibus tantum verbis adducendæ doctorum virorum explicationes, quibus præmissis nostram subjungemus, ut hoc modo collatis inter se diversis interpretationibus bono lectori pateat, quæ ad sensum apertum fundendum eligi possit commodissima. Communissima Sententia ad hanc phrasin ea est, quam dudum suam fecerunt Viri plurimi pietate & doctrina illustres, *Bullingerus, Musculus, Pareus* aliique quorum major est numerus, quos etiam sequuntur posteriores multi, qui statuerunt quod sit allusio ad consuetudinem Veterum, qui in Portis urbium sua habebant consilia, quia in Portis apud veteres erant præcipua urbium munimenta ac propugnacula; In hanc sententiam etiam declinat *GLASSIUS* Philolog. Sacr. Lib. 5, Cap. 12. p. m. 1848. *Portæ inferorum* inquit, *quorum mentio Matth. XVI: 18. denotant consilia, machinationes, ac potestatem diaboli, & omnium ejus ministrorum, hæreticorum videlicet & tyrannorum, ratione similitudinis deducta, quod in portis olim judicia & consultationes exercebantur, & quod portæ ac muri urbis munimentum maximum præstarent.* Hanc explicationem sibi melius exornandam sumsit *OLEARIUS*, in *Observat. ad Matth. p. m. 452.* cujus verba hæc sunt. *Speciale habet Ecclesia Christi privilegium, erit enim illa firma, immota, & portæ inferni non prævalebunt ei, id sine ambage explicari posse existimarem, cum haud paulo*

*majore tamen quam vulgo fieri solet emphasi; nempe circa portas urbium solet esse certamen, hinc etiam portæ communiuntur quam maxime, atque armis & præsiidiis armantur. Portæ bene munitæ & instructæ κατισχύουσιν, valent contra impugnantium vim irritosque eorum conatus frangunt & retundunt; sic igitur Christus hoc loco civitatem Dei & civitatem Diaboli sibi opponit invicem, illam supra petram fundatam, locoque forti & edito contra omnes hostium insultus tutam; hanc Πύλαις suis quidem instructam etiam, munimentis & præsiidiis ornatam, sed quæ nihil valeant contra opes & virtutem civitatis Dei.*

§. III. Brevibus exposuimus communem & vulgariter receptam ad hunc locum explicandum sententiam, quibus autem illa prematur objectionibus & difficultatibus jam docuerunt Viri doctissimi, ERASMUS SCHMIDIUS in Commentar. in h. l. & JOH. CAMERO in *Myrothec. Evang.* p. 30. dabimus ipsa doctorum virorum verba, ita enim SCHMIDIUS p. 241. Notar. in N. T. *Quicquid demum intelligamus per Portas Inferni, certum tamen semper manet, illas esse partem oppugnantem, & quomodo hæc forma loquendi congruit? Quis enim unquam dixerit Portas Constantinopolitanas in Thracia, etiam firmissimas, oppugnare, nedum expugnare posse vel patentem aliquem Hungariæ vicum? Quid ad nos sedem Imperatoris Turcarum esse munitissimam? Illa quatenus ita munita est, per tantum intervallum nos nihil lædet, neque enim portæ solent aut possunt alios oppugnare vel vincere, sed oppugnantibus & vincere cupientibus resistere, esset ideo forma loquendi ἀνωγος, qualis Filio Dei, Λόγῳ & sapientiæ Patris Cælestis affungi nec potest nec debet. Consimilem plane cri-*  
fin

fin in receptam hujus phraseôs explicationem strin-  
 git CAMERO l. c. quam ipsius verbis licet lon-  
 giorum exprimemus. *Non satis constat, quid hæ  
 sint, quas notat Dominus, inferorum portæ, alii volunt  
 sic describi Satanæ vim & robur in oppugnanda Ec-  
 clesia, portas scil. esse urbium munimenta, itaque apte  
 sic Diaboli potentiam designari; at vero neque portas,  
 si proprie loqui velimus, dicemus urbium munimenta,  
 non est hic portarum usus; moenia & fossa & vallum  
 & agger id præstant; portæ muniuntur non ipsæ mu-  
 niunt. Neque vero ut maxime portæ munimenta sint,  
 oppugnacula sunt, unde impetus fiat in urbem, sed  
 sunt propugnacula potius, hic vero non propugnantium,  
 sed oppugnantium hostium vis & robur describitur. Nec  
 MALDONATI potest procedere explicatio, qui putavit  
 per portas inferni intelligendam esse non eam vim, quam  
 Satanas Ecclesiæ inferret, sed eam, qua se tuetur;  
 Verum nec sic quidem liquet, quas Christus portas infe-  
 rorum dixerit, nam κατισχύειν non est obsessorum, sed  
 obsidentium, quique vim inferunt potius quam illatam  
 prohibent & defendunt. Quid quod Ecclesia hic do-  
 mui comparatur? at quis dixerit domum seu ædificium  
 oppugnare? obsidetur quidem & oppugnatur, & capi-  
 tur, at nec capit, nec oppugnat, neque vero obsidet;  
 Quam ob rem aliis alio referre hæc visum, nimirum  
 olim in urbium portis consilia habebantur, & jus di-  
 ctum. An igitur portarum nomine technæ & fraudes  
 Diabolicæ, quibus Ecclesiæ gravius semper quam aperta  
 vi nocitum est, intelliguntur? Sed ne sic quidem  
 constat ratio, nempe κατισχύειν non usque adeo apte,  
 cum de consiliis agitur, usurpatur, virium potius &  
 roboris est κατισχύειν, quod si ea Christi mens fuisset,  
 haud dubie ἐν ἐξαπατήσεσι non vero ἐ κατισχύσεσιν  
 dixisset, deinde vero legimus quidem jus dictum in*



*portis, etiam habitos Conventus, at consilia arcana non vulganda in iis agitata, id vero nescio an quis observarit.* Ex his jam facile legenti manifestum est, quod communis: ad hunc quem præ manibus habemus locum explicandum sententia, tales secum ferat difficultates, quæ nos cogunt ad aliam viam inveniendam, per quam sensus verborum Christi fiat apertus, planus & perspicuus, hoc autem a nobis tentabitur, postquam reliquæ doctorum sententiæ prius a nobis fuerint expositæ.

§. IV. Primus, quantum quidem nobis constat, fuit inter recentiores Vir illustris HUGO GROTIUS, qui per Portas Inferni *mortem* intelligendam esse asseruit, cujus vestigia mox premebant plurimi alii, ita vero GROTIUS Comentar. ad h. l. differit: *De Diaboli aut etiam improborum molitionibus tanto consensu hunc locum exponi valde miror; nusquam enim reperio ἄδης vocem neque apud Hellenistas, neque apud Novi Fæderis Scriptores in alia significatione quam aut mortis, aut status post mortem, quæ sunt inter se affinia.* Ab interpretibus, quos in hac parte sequuntur Apostoli, ἄδης verti per ἄδης a multis jam observatum est, atque hanc suam sententiam prolixè variis testimoniis, ex versione Τῶν LXX, tum etiam ex profanis auctoribus probat & illustrat, quæ exscribere nostrum non est. Eandem sententiam etiam suam fecerunt viri alii doctissimi, quos inter est CAMERO, jam supra a nobis laudatus, cujus verba *Myrothec. Evang. p. 31.* hæc sunt. *Quid igitur superest, quam ut ipsam consulamus Scripturam, sui interpretem minime fallacem, & extat similis locutio Jobi XXXVIII: 17. Psalm. IX: 14. & eadem Esaia XXXVIII: 10.*

*Quæ*

Quæ autem sit hujus locutionis vis & significatio iis in locis, nemini est obscurum, nempe sic notatur vis mortis & sepulchri in miseros mortales. Affinis est huic locutioni illa מות חבלי funes mortis circumdederunt me Psalm. XVIII: ✠ & CXVI: 3. hyperbole splendidissima, hoc est, perieram obrutus jam in sepulchro, humo superaggesta, & quasi vinculis in carcere constrictus; & sic notatur supremum mortis imperium & vis summa, ultra siquidem quod agat, nihil habet; Hæc ergo Christi hoc in loco mens fuisse videtur, jaceant fideles ad breve tempus demortui, mors in illos dominetur, exerceat jus suum, in sepulchro veluti in carcere eos teneat conclusos, & vinculis quasi constrictos, haud tamen usque & usque obtinebit, valebit quidem certe, sed non prævalebit. Hanc explicationem etiam arripuit & suam fecit JOH. CLERICUS in notis suis ad Hammondii Commentaria N. F. p. 130. quique iisdem pro assertione hac pugnat argumentis, quibus Grotius & Camero jam usi fuerant, hinc etiam verba ejus citare supervacaneum esse existimamus: nec alienum se ab hac explicatione fatetur JOHANNES HARDUINUS in Commentar. ad N. T. p. m. 62. plures adhuc afferre necesse non est.

16.

§. V. Si jam accuratiori examini hanc Grotii & Cameronis explicandi rationem subjiciamus, facile certe deprehendemus, illam talem esse, quæ Verbis Servatoris nostri, in quibus firmitatem & stabilitatem Ecclesiæ suæ contra omnes hostium assultus promittit, non satisfaciat, notandum enim quod Christus hoc loco Ecclesiam suam proponat ut Civitatem in excelsa & firmissima rupe collocatam, quæ equidem crebris imo perpetuis

hostium conatibus, technis atque acerrimis oppugnationibus esset exposita, in quam vero omnis inimica vis & tentamina frustra & irrito conatu incurfura essent, & si totum hunc locum probe inspiciamus, videbimus quod Civitas Dei & Civitas Diaboli in hoc, ut in plurimis aliis Scripturæ locis, sibi opponantur: Civitas Dei in firma & inconcussa rupe est posita, pacem habens in se & cum aliis; Civitas Diaboli, quæ est regnum tenebrarum, est turbida, bellum perpetuum agens contra regnum Christi & fidelium; Illam inhabitat Semen mulieris; hanc Semen Serpentis; Belial & Christus sibi opponuntur, tanquam duces & imperatores cohortis contrariæ & adversæ sibi invicem, & ideo Deo hujus mundi opponitur Christus, 2. Cor. IV: 4. Arma justitiæ & Diaboli sunt sibi invicem adversa, teste Paulo Rom. XIII: 12. ut ad hunc locum etiam recte notavit *Ewaldus Embl. sacr. Lib: 4. Exercit: 3.* atque hæc consideratio etiam permovit Celeberr. JOHANNEM ALBERTI quare in Observat. ad h. l. p. 110. a sententia Grotii & Cameronis recederet, dicit enim; *Non enim existimem, Christum hic præcipue & directe credentes erigere voluisse in spem beatæ resurrectionis, iisque immunitatem a mortis & sepulchri imperio ob oculos proponere.* Observandum insuper, quod doctor cælestis nos instruat, quæ fata Civitas Dei habitura esset in hac terra, non autem, quis fidelium finis & exitus futurus esset, si ex Ecclesia militante ad triumphantem transituri essent, sunt ideo hæc verba prophetica & consolatoria ad Cœtum electorum, cui pugnandum & decertandum bonum certamen quamdiu in hac terra vivunt, adversus mundum & Di-

abo-

abolum, qui sunt perpetui & indefessi hostes Civitatis Christi in hac terra, sed licet isti adversarii sint fortes, astuti, indefessi, nihilominus tamen certam victoriam addicit & promittit Servator, quia est fortior omnibus inimicis. Ratio vero quare Viri quidam doctissimi per *Portas Inferni* mortem intelligant, haud dubie hæc tantum est, quia non satis expenderunt, quod Πύλαι ἄδης non mortem tantum, sed etiam *locum damnatorum & immundorum Spirituum* sæpe significant, ut postea a nobis probandum erit; facile equidem concedimus, quod ἄδης frequentissime apud Scriptores sacros & profanos *Mortem & sepulchrum* denotet, ut id frequentissimis locis a *Grotio, Camerone, Clerico & Elsnero* fuit probatum; cum autem alia e contra etiam produci possint, quæ *infernum* proprie dictum & *statum mortuorum* exhibent, ea in hoc loco nobis adoptanda est Significatio, quæ Scopo Servatoris nostri loquentis est convenientissima, nec dubitamus, quin etiam illi interpretes; qui per *Portas Inferni* mortem & sepulchrum tantum intelligunt, suam relicturi fuissent sententiam, si illis talia in promptu fuissent testimonia, quibus liquide probatur, quod ex sensu veterum Scriptorum carcer Spirituum & regnum tenebrarum per ἄδην intelligendum sit. Alios movit versio septuaginta viralis, quæ חַיִּים וְיָמֵי עֵדֶן per Πύλαι ἄδης reddere solet, in quorum numero est etiam Cl. SALCHLINUS haut ita pridem cum omnium bonorum mœrore nobis ereptus, Collega noster desideratissimus in *Observationibus in N. T. ex Pindaro desumptis* p. 240, sed pace doctorum Virorum dictum sit, quod necessarium nullatenus videatur ad Versionem Græcam vel Hebraicum confu-  
gere,

gere, quoties phrasis aliqua rarior N. Fœderis occurrit, cujus similia extant exempla apud probatos Græcorum Scriptores, ex quibus genuinus ejus sensus commode potest exponi & probari.

§. VI. Antequam autem nostram exponamus & probemus mentem examinanda adhuc Viri doctissimi, magnique in emblematicis fingendis ac refingendis artificis *Wilb. Ern: EWALDI* sententia, quam in proluxa de *Portis Inferorum* exercitatione. Lib. IV Emblematicæ: p. 344. & seqq. exposuit, & in qua id agit, ut probet allusionem esse in verbis Christi ad *Portas Castrorum*, verba ejus p. 346. hæc sunt. *Quoniam vero plurimi interpretes, difficultates movent circa vocem κατισχύω, quomodo hæc portis active tribui queant, quæ illis passive tantum conveniunt, observamus in specie hic respici posse ad Portas Castrorum, quarum frequens apud antiquos mentio, jam vero si Portas Castrorum per Synecdochen usitatissimam pro ipsis Castris sumamus, omnia elegantissime fluent, & vocis κατισχύω significationi activæ optime consulatur, quando hic portis tribuitur, præpriis cum regnum tenebrarum consideretur in Scriptis sacris instar castrorum adversariorum exercitui Jehovæ spiritali.* Hæc equidem docte dicuntur, sed difficultates non tollunt, cum eadem hic obveniant, quas *Camero & Schmidius* de Portis urbium annotarunt, cum certe nec portæ castrorum oppugnare soleant; adde quod Castrorum portæ nihil aliud fuerint, ut videmus ex *Livio* Lib. 40. Cap. 27. quam quatuor Spatia, quæ Valla circum Castra secabant, per quæ dabatur ingressus & egressus ex castris, ita quidem ut Portæ Castrorum nihil aliud fuerint quam latiores viæ.

Jam

Jam si porro spectemus, quod hæc allusio sit obscurior & nimis longe petita rationes sufficientes defunt, quæ nobis persuadeant, Virum doctum modum invenisse, quo obvenientes difficultates ac objectiones feliciter solvi possint.

§. VII. Id nunc agendum, ut nostram exponamus & probemus Sententiam, qua probare conabimur per *πύλας ᾗδης* intelligendam esse totius infernalis exercitus vim & machinationes, & id quidem ex familiari Scriptoribus sacris & exoticis loquendi consuetudine, id autem ut fiat feliciter, rescissis omnibus quæ moveri possent difficultatibus, probanda potissimum tria, I. Per portas apud Scriptores sacros & profanos intelligi integras Civitates vel Imperia. II. *Ἄδην* ex communi Scriptorum sensu frequentissime denotare regnum tenebrarum & immundorum Spirituum. III. Apud Auctores Græcos *πύλας ᾗδης* significare carcerem animarum infelicium & Dæmoniorum, quæ si probata fuerint liquidis Veterum testimoniis, planum & certum erit Salvatoris nostri loquendi rationem non tantum fuisse claram & ab omni Hebraismo liberam, sed illam talem esse, ut Græci & Hellenistæ facile exinde discere & colligere potuerint, per *Portas Inferni* nihil aliud subaudiri potuisse, quam Cacodæmonis potestatem & malorum hominum, qui infaulti hujus Spiritus dictamina suscipiunt & sequuntur. Probandum ideo primo loco, per metonymicam hanc loquendi rationem, integras Civitates vel Regna apud Scriptores significari, atque hæc loquendi ratio sacris & profanis satis est familiaris, in Psalm. XXIV: 7. *Elevate portæ capita vestra*, ubi haud dubie integræ

tegræ regiones & dominationes intelligendæ sunt. Esaj. LX : 18. *Vocabis salutem muros tuos , & portas tuas laudem.* Quæ verba ita explicat magnus Scripturæ interpres CAMP. VITRINGA in suo Commentar. ad h. 1. *Portæ & muri pro ipsa urbe sumuntur , cujus hoc singulare esset attributum ut quot quot muris ejus inclusi essent homines , positi essent in statu Salutis & Securitatis , quia Civitas gauderet divina defensione , præsidio & singulari providentia , ita ut ipsa salus in Civitate adesset , plus mysterii hic non sector.* Quæ etiam communis hæc loquendi ratio movit LXX ut portas pro urbe transferrent ; quia sensus idem , cujus rei exemplum habemus Jerem. XLIV : 6. sed plura exempla suppeditabit Abr. TROMMIUS in *Concord. Græc. versionis τῶν LXX.* p. 387. Tom. 2. & qui plura exempla ex sacris desiderat , in quibus Porta pro urbe vel Civitate ponitur evolvat *Sal. GLASSII Philolog. Sacr. Lib. V. Tract. I. Cap. 17. p. m. 1931.* Apud profanos auctores exempla etiam sunt frequentiora , ita *JUVENAL. Sat. XI. 124.*

- - - *quos mittit porta Syenes*  
*Et Mauri celeres , & Mauro obscurior Indus.*

Hic Satyricus *portam Syenes* ponit pro ipsa *Syene* , quæ erat Urbs Ægypti in Æthiopiæ Confinibus ad Nilum sita ; sic etiam VALER. FLACCUS , *Argonautic. Lib. I. 676.* portas pro urbe posuit.

- - - *da reddere terris*  
*Has animas , patriæque amplecti limine portæ*

Nec aliter *Ann. LUCANUS, Pharsal. Lib. II: 704.*

*Ergo hostes portis , quas omnes solverat urbis*  
*Cum fato conversa fides , murisque recepti.*

Posset

Poffet etiam huc referri locus *VIRGILII Æneid.*  
Lib. VI: 894.

*Sunt geminæ Somni portæ,*

Sunt autem somniorum portæ loca illa subterranea ex mente veterum, ex quibus somnia emittuntur, ut hæc explicat *Adr. TURNEBUS Adversar.* Lib. 28. Cap. 46. p. m. 631. Atque his quidem testimoniis probatum esse putamus, per *portas* integras Civitates & majores hominum conventus & societates sæpius intelligi.

§. VIII. Ad alteram probationis partem nunc accedimus, probaturi quod *ἄδης* apud Scriptores sacros & profanos non tantum *mortem & sepulchrum*, sed etiam sæpius *infernum*, locum illum infauftis animabus & sua primæva integritate elapsis Spiritibus destinatum significet. GROTIUS in Commentar. ad Matth. l. c. contendit, quod *ἄδης* ubique *sepulchrum* tantum denotet, BELLARMINUS e contra Lib. IV. *de Christo*, Cap. 12. defendit, quod hæc vox quoties in Scriptis sacris occurrit, semper *infernum* denotet. Uterque male, cum primus nimium negat, dum alter nimium affirmat. Apud Scriptores exoticos hanc vocem *infernum* denotare nos dubitare non sinunt aperta veterum testimonia; PLATO in *Phæd.* Cap. 43. p. m. 39. aperte differit, quod anima post emigrationem ex corpore se conferat in *ἄδην*, ad quæ in notis suis ad h. l. Cl. *Job. Henr. WINKLERUS* recte dicit, *locus in quem animæ relictis corporibus proficiscuntur, a Socrate ἄδης appellatur, & ratio denominationis ex verbis proxime præcedentibus patet, est locus purus, ut in materiis, quibus constat,*  
nulla



*nulla fieri possit radiorum reflexio, ea de causa dicitur αειδης in quo nihil visu percipi potest.* Apertissimum vero testimonium nobis exhibet LUCIANUS de Luctu Cap. 2. edit. Reiz. Tom. 2. p. 923. Ὁ μὲν δὲ ὄμιλος τόπον τινὰ ὑπὸ τῆ γῆ βαθεῖον, Ἄδην ὑπειλήφασιν, μέγαν δὲ καὶ πολὺχωρον τῆτον εἶναι, καὶ ζοφερὸν καὶ ἀνήλιον. *Vulgus vero promiscuum locum quendam sub terra profundum esse putat inferos, eumque magnum & spatiosum & tenebricosum, Soleque carentem.* Descriptionem longam & egregiam inferni nobis exhibet VIRGILIUS *Æneid* Lib. VI. Vers. 264. & seqq. quam utpote longiorem huic loco inferere nostrum non est; Græcos in hac re sequuntur Latini, hinc Ἄδην OVID. *Metamorph.* Lib. IV: 437. *Stygiam urbem*, PROPERTIUS Lib. III. Eleg. II. *Nigrantes domos*, & modo citatus VIRGILIUS *Æneid.* Lib. VI: 269.

- - *domos ditis vacuas & inania regna.*

vocare consueverunt. Plurima alia testimonia quæ collegit Job. Conr. DIETRICUS in *Antiq. N. Test.* p. 43. consulto omittimus, quibus adjungi possunt ea quæ larga manu collegit Tobias PFANNERUS in *System. Theol. purioris gentilism.* Cap. 21. p. 464. ad quem, tanquam ad uberrimum harum rerum collectorem bonum ablegamus lectorem nostrum.

Sed hæc quæ dicta sunt statum controversiæ nondum absolvunt, negat Grotius, Schotanus &c. Ἄδην esse infernum: Prolixe id etiam egit J. WINDET, M. D. in exercit. de *statu vita functorum*, quæ extat ab initio fasculi IV. opuscul. ad Philolog. Sacr. spectantium, ubi p. 59. probat per Ἄδην sepulchrum esse intelligendum: Sed proba-

vimus

vimus ex Scriptoribus profanis, quod *ἄδης* locum Spirituum denotet, idem jam probabimus facile ex loco satis noto Luc. XVI: 23. ubi de epulone divite hæc habentur, καὶ ἐν τῷ ἄδῃ ἐπάρας τὰς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, ὑπάρχων ἐν βασάνοις. Et in inferno existens attollit oculos suos, quum esset in tormentis, ad quæ recte omnino Eras. SCHMIDIUS hoc habet; "Adēs, Pluto, nomen per se Ethnicum, sed ita tamen de loco inferni usitatum, ut etiam Scriptura illud eo sensu usurpet. Nec certe Scriptor sacer hanc vocem adhibuisset, nisi hoc sensu ista vox ubique cognita & familiaris fuisset, & quid luculentius quam hoc testimonium, licet magno nisu id agat Illustris GROTIUS in notis ad Luc. XVI. ut ostendat, denotare tantum mortem: sed omni eruditionis apparatu, quem ad sententiam suam probandam effudit Vir eruditissimus, id egit ut vel parum acutus lector facile exinde videat, allata a Grotio esse loca, quæ ejus hypothese non probent, sed evertant, ut id etiam probavit DORSCHÆUS in quatuor Evangelist. p. 259, & quid clarius, cum *ἄδης* expresse locus tormentorum vocatur? recte hinc Joh. Reinh. RUS Harmon: Evang. Tom. 2. p. 808. Præ aliis dignus est hic locus Evangelistæ Lucæ, quoniam ex illo evidens est, *ἄδην* non nudum animæ separatæ statum, abstrahendo a loco ubi illi bene aut male sit, saltem non semper & ubivis notare, junguntur enim mox βασάνοι eidem, & in versu 28. diserte appellatur τόπος τῆς βασάνου locus tormentorum. Est ideo *ἄδης* idem ille locus quem Lucas. VIII. 31. ἄβυσσον & Johannes Apoc. XIV: 10. Locum Ignis & Sulphuris vocat. Fatetur etiam Camero quod hic Lucæ locus ita clarus sit & apertus, ut negari non possit

infernum in illo denotari. Si ideo consentientem hac in re habeamus Scriptoris sacri auctoritatem, audacter asserere possumus, *αδιν* apud Matthæum eundem posse admittere sensum, quem apud Lucam ex communi suffragio omnium illorum habet, qui simplicem & genuinum Scripturæ sensum amant & indagant.

§. IX. In iis quæ hæcenus diximus, viam tantum paravimus ad ea probanda & exornanda, quæ ad explicationem & sententiam nostram conducunt, atque ita existimamus recte illos fecisse, qui per *Portas Inferni* regnum tenebrarum, cujus princeps & imperator est Diabolus, perpetuus Christi & Ecclesiæ hostis, intelligunt, atque ita nobis persuasum est Servatorem nostrum locutum fuisse secundum communem Judæorum & Gentilium sensum & hypothésin, esse scil. regnum aliquod tenebrarum, malorum Spirituum & sceleratarum animarum receptaculum, in quod infasti isti Spiritus & ad crimina quæcunque pronæ animæ justo Dei judicio detruderentur, atque ibi tanquam in carcere, ut dignam criminum & malitiæ pœnam luerent, concluderentur: hanc autem fuisse omnis antiquitatis apud omnes promiscue gentes fidem, nos apertissima veterum testimonia dubitare non sinunt, quæ collecta quasi in fasciculum leget qui vult apud PFANNERUM, de *Theol. gentil.* p. 460. & sequentibus. Ita etiam nobiscum sentit VITRINGA in Commentar. ad Esaj. XXXVIII: 10. p. 396. Tom: II. *Desumpta est, inquit locutio de Portis inferni a fictione poëtica antiqui temporis, qua Voraginem subterraneam, quæ secundum ipsos recipit animas & umbras factorum,*

*torum,*

torum, conceperunt sub imagine magnæ urbis & civi-  
tatis. Atque certe nemo est Christianorum, qui  
non credat & concipiat, quod secundum ea, quæ  
edocti sumus ex sacris Literis, sit locus aliquis a  
Deo constitutus, ubicunque ille demum sit, in  
quo immundi Spiritus cum ingenti globo anima-  
rum infelicium & immundarum, suum habeant  
receptaculum, ex quo, non nisi Deo volente &  
permittente, egressus detur, atque hæc est pœ-  
næ pars, quod impuri isti Spiritus carcere &  
catenis conclusi pro sua libidine nec egredi nec  
fremere & nocere possint, quia infernum inhabi-  
tare justo Dei judicio tenentur, usque dum dies  
accedat, quo diram judicis sententiam de æterno  
carcere inhabitando ab omni spe Solatii & exi-  
tus resecti audituri sunt. Superest jam, ut pro-  
bemus, Græcos per πύλας ἄδης talem locum, non  
autem mortem & sepulchrum tantum, intellexisse,  
quod si a nobis evictum fuerit, ea haud dubie  
erunt probata, quæ ad sententiam nostram ful-  
ciendam, & contra Grotium, Cameronem, Har-  
duinum, & alios probandam erant necessaria.  
Stabat infixæ præscis sententia, quod Diis volenti-  
bus impuris illis Spiritibus sæpe egressus concede-  
retur, quo factò homines variis malis afficeren-  
tur, atque ex hac Veterum Opinione explican-  
dus Locus PLAUTI in *Trinummio* Act. II: sc. 4. 124.

*Acherontis ostium in nostro est agro.*

ad quæ verba notavit TAUBMANNUS p. m.  
1342. *Veteres, cum animas omnes ad inferos de-  
scendere putarent, multis locis esse ostium orci credebant,  
ut qua spiracula erant, quæ fœtoris fœditate animam  
extorquebant, &c. sed & in locis pestilentibus Ostium*

Orci esse dicebant, ut hoc loco Festus Manalem Lapidem sive manale eleganter Ostium Manium vocat, de quo Scaliger ad Festum; Gruterus, Lux inquit huic loco est a Columella Lib. I. de Re Rust. Cap. 3. Nam ubi sit cum Orco ratio ponenda, ibi non modo perceptionem fructuum, sed & vitam Colonorum esse dubiam, vel potius mortem quaestu certiolem &c. Hæc magis adhuc illustrat Job. Fred. GRONOVIVS in *Lectiōib. Plautinis* p. 174. Januam Orci appellabant Veteres omnes locos pestilentes unde certam perniciem imminere & aditum ad manes esse existimabant, sic Apul. VI. *Metam*: Sed bene quod meas potissimum manus incidisti, & inter Orci Cancros jam ipsos hæfisti. Cancros vocant januam cancellatam, præcipue autem chasmata seu hiatus terræ in altum desidentes, & agros, quos Cicero vocat Cælo & Solo calamitosos, insalubres colentibus ita vocabant. Ex his jam facile animadvertimus, quam communis & recepta fuerit Veterum Opinio, animas impuras in infernum equidem esse detrusas, quod nos sacræ Literæ etiam docent, sed illas, quoties illis permittitur, hominibus damna inferre quantum possent, atque hæc magis adhuc confirmat LUCRETIUS de *Rer. Nat. Lib. VI. 762.*

*Janua his Orci potius regionibus esse  
Credatur posta, hinc animas Acheruntis in oras,  
Ducere forte Deos Manes inferne reamur.*

His adjungere possemus prolixiores VIRGILII descriptiones, qui hæc latius describit *Æneid. Lib. VI.* Sed eadem Græcorum de his fides erat, quam ab HOMERO acceperant, sic enim ille de ejusmodi Spiraculis, ex quibus impuri manes ad homines lædendos exirent *Odyss. Lib. XIV. 156.*

Ἐχθρὸς

Ἐχθρὸς γάρ μοι κείνος ὁμῶς Ἄϊδαο Πύλῃσι  
Γίνεται.

*Inimicus enim mihi ille non minus Ditis januis  
Est.*

& idem in oratione Tlepolemi ad Sarpedonem  
*Iliad.* lib. V. 646.

Ἄλλ' ὑπ' ἐμῆ δμηθέντα πύλας αἶδαο περήσειν  
*Sed a me interfectum ad Portas Orci descensurum.*

Et ne quis putet & objiciat, quod per Portas  
Orci hoc loco sepulchrum intelligat, contextus  
enim manifeste docet, quod hæc explicatio falsa  
esset, quia aliàs certe sensus verbis minantibus  
haut constaret, sed si quis dubitare velit dubitet,  
& eum convincet alius locus *Iliad.* Lib. XXIII.  
70. ubi anima Procli ad Achillem ita

Ἐυδαίς, αὐτὰρ ἐμεῖο λελασμένος ἐπλευ Ἀχιλλεῦ  
Ἵου μὲν μευ ζώντος ἀκήδεις, ἄλλα θανόντος,  
Θάπτε μὲ ὄψιταχιστα πύλας αἶδαο περησῶ.

*Dormis & mei oblitus es, Achille?  
Non quidem me viventem negligebas, sed mortuum,  
Sepeli me quidem citissime, Portas Orci ut intrem.*

Homines insepultos in regnum tartareum ubi  
Plato & Proserpina Sceptra tenebant, introire non  
potuisse non est cur lectorem moneam, cum sit  
res pueris nota secundum illud *VIRG. Æneid* Lib.  
VI. 325. ubi Vates rationem exponit Æneæ,  
quare Charon non omnes in Cymbam suam re-  
cipiat.

*Hæc omnis quam cernis, inops inhumataque turba est,  
Portitor ille Charon, hi quos veabit unda, sepulti.*

*Nec ripas datur horrendas & rauca fluenta  
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.  
Centum errant annos, volitantque hæc litora circum,  
Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.*

His quæ a nobis sunt dicta, adjungi possent etiam quædam argumenta, quæ affert WINDET in erudita exercitatione de *statu vita functorum*. Sect. VI. p. 90. ubi Vir eruditiss. postquam in antecedentibus dixerat, hebræorum *חַיְוֹ* & Græcorum *ἄδης* sæpius denotare mortem & sepulchrum, nunc firmius etiam adstruit ex Scriptis Hebræorum, quod *חַיְוֹ* sæpius a doctoribus Judæis sumatur, pro loco vita functorum, & quod *ἄδης* apud Græcos sæpe denotet domicilium illud Spirituum siue infernum, sic enim ille statim ab initio Sect. sextæ. Hebræorum *חַיְוֹ* sæpe exhibet locum vita functorum, illum autem locum hebræi solent in duas regiones dispescere, Paradisum nempe & Gehennam. &c. & mox postea; Quemadmodum vero Hebr. *חַיְוֹ* & bonum & infelicem Spirituum locum designat, ita Græcorum *ἄδης* & Elysiū & Tartara continet, ita Auctor Operis Josepho adscripti quod edidit D. Hæschelius in notis ad Photium p. 9. Et quo sensu Scheol & *ἄδης* in subterraneis esse dicantur itidem, ὑπὸ χρο-  
νὸς διευόσεις τε καὶ τιμὰς οἷς ἀπετῆς ἢ κακίας ἐπιτή-  
δουσεις ἐν βίῳ γέγονεν, hæc etiam ratio, quare Josephus *Antiq. Jud. Lib. VI Cap. 14. Sect. 2. p. 354. edit. Havercamp.* describens historiam mulieris Endorensis, Samuelem evocantis ait, quod ἐξ ἄδης ipsum ascendere fecerit. Plura qui desiderat inveniet loco cit. unde sitim suam circa hanc rem restringere possit.

§. X. Probatum dedimus, quantum quidem ex judicio boni lectoris expectamus, quod ex  
com-

communi veterum loquendi ratione nihil infolium fuerit Regnum Spirituum vocare *πύλας ᾗδου*, erat ideo phrasis cujus sensus & Græcis & Hellenisticis hunc locum Evangelii legentibus potuit esse obuius: Hæc etiam est causa est, quare communem explicationem adoptandam quidem, sed alio quam hæctenus factum est modo explicandam esse censuimus, quis enim per Portas inferni potestatem Diaboli & immundorum Spirituum dicet hoc loco significari, quamdiu per *πύλας ᾗδου* mortem tantum & sepulchrum denotari apud priscos probabitur, ut id certe a viris quibusdam doctissimis factum fuisse animadvertimus. Hoc etiam prolixius probat *Phil. Jac. BURCKLIN* Lib. de *descensu Christi ad inferos* p. 446, quæ autem prolixiora sunt, quam ut heic describi possint. Rem totam paucis verbis & summam verborum Christi ita exhibet *Illustris Christ. Matth. PFAFFIUS* in Notis exegeticis ad *Evang. Matth. Portæ Inferorum non prævalebunt adversus Ecclesiam, h. e. Ecclesia nunquam potest interire, licet totus mundus & omnes potestates terrestres & infernales adversus eam conspirarent & eam delere vellent, nunquam enim Dominus eam relinquet, sed eam inter dirissimas persecutiones tutam servabit.* Consimilem propemodum verbis Christi sensum etiam tribuit vir eruditione & pietate conspicuus *Henr. Benedict. STARCKIUS* in *Not. Select. ad dubia loca N. T.* p. 56. Hæc jam de Portis Inferorum dicta sufficiant, atque huic forsan labori potuissemus supersedere, si *Doctiff. Christ. Sigism. GEORGIUS* suam quam promisit de *πύλας ᾗδου* exercitationem in *vindicis N. T. ab Hebraïsmis* p. 360. publici juris fecisset, quia a Viro Clarissimo nil nisi ex penetralibus Veterum Græco-



rum petitem, & sufficientibus argumentis firmatum expectare potuiffemus.

§. XI Dum in eo sumus, ut quid per *πύλαις* *ἄδῃς* intelligendum sit exponamus, velut coronidis loco adhuc examinandus est locus DIOG. LAERTII de *Vitis Philosophor.* Lib. VIII. Segm. 34. p. 515. edit *Wetsten.* ubi dicitur, quod Pythagoras a fabarum esu abstinuerit, quia *ἄδῃς* *πύλαις* sint similes; verba ejus hæc sunt. *Φησὶ δὲ Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ τῶν κυάμων, παραγγέλλειν αὐτὸν ἀπέχεσθαι τῶν κυάμων, ἥτοι ὅτι αἰδίσις εἰσὶν ὁμοιοὶ ἢ ὅτι ἄδῃς πύλαις.* Ait autem Aristoteles libro de fabis, ideo admonuisse illum abstinendum fabis, sive quod pudendis similes essent, sive quod inferni januis. Multa eruditione magnaque industria id agit doctiss. WINDET in supra laudata dissertatione de *vita fūctorum statu*, Sect. V. p. 62. ut doceat & demonstret, quare Pythagoras voluerit discipulos suos a fabarum esu abstinere, & plurima quidem haut proletaria in hanc rem attulit, quæ repetere hoc loco nostrum non est, sed verba *Laertii*, quod *inferni januis* sint similes non exposuit, & quidem consulto, quis enim hæc obscurissima exponeret? Cum portæ inferni sint ens mere imaginarium, de quo ne quidem Veterum Poætæ descriptionem dedere; quis est, qui divinare possit, quis horum verborum sensus esse debeat? hæc cum ita sint, mihi equidem est persuasum mendum cubare in his *Laertii* verbis atque lectionem esse corruptam, atque integer erit sensus si legamus *αἰδίσις πύλαις*: notum vero partes genitales Virorum & Mulierum promiscue *αἰδίσις* vocari apud Græcos, ut nos docet POLLUX Onomast. Lib.

Lib. 2. Cap. 4. Sect. 144. p. m. 239. nec insolitum priscis cavitates corporis humani per canales desinentes πύλαι vocare, hinc portæ hepatis, per quas sanguis suscipitur πύλαι etiam dictæ, ut nobis testis est iterum POLLUX Lib. 2. Cap. 4. Sect. 215. Hæc autem quomodo intelligi & explicari debeant medicis & anatomicis explicandum relinquimus, hoc saltem dabit lector, quod si ita legamus, sensum aliquem exsculpi posse ex dictis Laertii, cum certe quamdiu ἄδὲ πύλαι retinetur, ne Oedipus quidem divinare possit, quomodo fabæ cum portis inferni aliquam habere possint similitudinem. Sed sit apud quemque arbitrium, conjecturam damus, quam nec aliis argumentis firmare, nec pertinaciter defendere animus est, hoc vero mirum videtur, quare WINDET Vir certe doctus, & in ritibus veterum bene versatus ignoraverit, quæ fuerit ratio, quare Pythagoras disciplinæ suæ traditos ab esu fabarum tam anxie revocaverit, cum tamen rem totam PORPHYRIUS in *vit. Pythagoræ* Cap. 44. p. 43. edit *Kuster*. tam dilucide exposuerit, verba ex versione *Luc. Holstenii* hæc sunt. *Fabis vero æque ac humanis carnibus abstinendum monebat, referunt autem eum hujus legis causam hanc allegasse. Cum primum rerum principium atque origo essent invicem conturbata, multaque in terra confusa inter se coaluissent, simulque comparuissent, paulatim singula exorta atque discreta fuisse, cum simul & animalia nascerentur & plantæ producerentur, tum ex eadem putredine & homines extitisse, & fabas effloruisse, cujus rei manifesta adducebat argumenta; si quis enim fabam arrodat, dentibusque comminutam ferventibus solis radiis paululum exponat, & post exiguum temporis spati-*

um redeat, humani cruoris odorem in eo percipiet; præ-  
 terea si quis eo tempore, quo fabæ florem emittunt, pau-  
 lulum aliquid floris jam nigricantis accipiat, & in vas  
 fictile immisum & operculo obtectum humi defodiat,  
 atque ita defossam dies nonaginta conservet, tumque  
 effossum rursum promat, atque operculum tollat, loco  
 fabæ, aut pueruli caput, aut pudendum muliebri ena-  
 tum videbit. Hæc Porphyrius, ex quibus quan-  
 tum videtur lectio præsidium accipiet. Sed de  
 his abunde, nec plura addere lubet.

TANTUM.



Epi-